Incisor Regni

Lublinensis Collegii S. J. Luna redux —

LVNA REDVX
PERILLVSTRIS AC MAGNIFICI
DOMINI
D. PETRI
De Zurow
DANIŁOWICZ
INCISORIS REGNI
Post feralem Occasum
Ad meliorem
Quia Gloriæ Immortalis Ortum reuocata
Ac primò
Per Religiosum Collegij Lublinent Apollinem Salutata
Denum
AD ILLVSTRISSIMVM
D. IOANNEM NICOLAVM
DE ZVROW
DANIŁOWICZ
Supremum Regni Thesaurarium
Fraternis piè parentantem Bustis deducta
eidemq; oblata deuotissimè.
Anno à partu Virginis 1645

INSTEMMA GENTILITIVM
PERILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI

D. PETRI
DE ZVROW
DANIŁOWICZ



Forte volaturæ ſteterat fortunæ ſagittæ
Obuia, & orbis ait ſit Tibi meta meus.
Parua hæc, ille refert, maiorem quærit arundo,
Erret vt illa minus, ſit mihi Meta DEVS.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. NICOLAO.
De Zurow
DANIŁOWICZ
SVPREMO REGNI
THESAVRARIO
PRÆMISLIENSI SAMBORIENSI &c.
CAPITANEO.
Domino ac Patrono Meritiſſimo.

CReſcentibus dolendi cauſis, dolorem decreſcere populariter vſu venit Illuſtriſſime Domine Hebetari enī videtur animꝰ ad malorū ſenſū, malorum incrementis; atq; vt quo prior quis acceſſit dolor, magnitudinem poſteriori videtur præripuiſſe, ita animum quoq; aut occupauiſſe ne poſterior parem ſibi inueniat vaſtitatem, aut amplitudinem tantā fecisſe, vt in magna domo paruus hoſpes eſſe videatur. Verū ſi hoc ita ſe habet; Eſto hic Tuus dolor quem Tibi mors Fratris attulit primus vltimus accedat doloribus (atq; vtinam Superi Fratre incolumi acceſſu illū prohibuiſſent) eſt tamen eiusmodi vt illā primigenij doloris iure ſibi vendicare debeat prærogatiuam. Nullis enim ærumnis ad dolorem hunc Tuus dedolere animus poterat, nullis obtundi, nullis ſtupeſcere ad eius ſenſum malis

malis. Quin potius maxima quidem doloris huius rudimenta, primi dolores erant; cotesq; animi, ad exacuendum illius sensum, ac ideò præcessisse vt parem in animo Tuo huic metaretur dolori stationem. Quem enim Tu Fratrem amisisti? non nascendi sorte sed optimis animi, ingeniiq; dotibus Tibi geminum, & Te fere alterum id est verè Fratrem, Quem Tu Fratrē amisisti? eum quem Orthodoxa fides genuinam sobolem, Patria optimum Togâ Sagoq; Ciuem quem omnes per omnia suum, sed Tu insuper quia Fratrem. Decuissetne verò, nos qui alioqui non defuimus aliis, Tuo non præstò esse dolori, & huius quoq; societatem luctus, quamuis vix socialem, quasi priori lassatos deuitare. Immo verò nunc demum laboranti LVNÆ Vestræ, ita de nobis meritæ, vt quamuis sanguinis altitudine, omniq; sublimitate longissimè absit, beneficentiá tamen nobis videatur vicinissima, succurrendum si quo fas, vel hoc saltem tinnitu fuit, Qui si tantus esse nequit vt singultus Vestros superet, si tamen saltē inter illos percipi vllatenus, ac vel tenuissimè exaudiri possit adhuc erit magnus. Ac quemadmodum prisca Romanorum vetustas non frustra æra auxiliaria se pulsauisse credebat, cùm LVNÆ deficientis lux se quasi ex fuga recipiebat ac victrix ridebat

anhelantes audito carmine bigas;

Ita nos quoq; multum nobis gratulabimur, si morte Fratris Tui LVNAM Vestram quasi profugam, ita reuocauerimus, vt Tu non alienam sed agnoscas Tuam, & cum illa REDVCE nos, qui esse volumus semper, Tuos.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Humillimis obsequiis deuotissimum

Collegium Lublinen: Soc: IESV.

LACRYMÆ PARENTALES LVNÆ GENTILITIÆ

PERILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI,

D. PETRI De Zurow DANIŁOWICZ INCISORIS REGNI

Quas vbi illa
Cum alijs auitis sideribus, ad Busta eius
Copiosè profuderit
à GLORIA impetrat immortali
Vt defuncti Nomen, tanquam Cœlo cognatum
Insertum astris, & ad meliorem vitam reuocatum
perenni donetur immortalitate.

NVnc age pullatos liceat decurrere Cœlos,
Arcanosq; poli scrutari & prodere sensus
Quæ noua sideribus facies? quæ causa tumultus?
Quidue dolens stellata domus, superinduit atram
Ignibus extinctis, velatoq; æthere noctem?

Luna

Luna serenatos turbauit pallida vultus
Et maculas confessa genis, pudibunda cruentum
Nescio quid lacrymans sinuauit cornibus orbem.
Hinc Martis turbata domus, duplicatque seuerum
Luctus iter valuis; illinc Cyllenia tecta
Facundis festos extinguunt postibus ignes,
Amissumque aliquid testantur squalida vultu,
Astra latent obscura solo, fugiuntque videri
Mæstus & insolitis concentibus insonat æther.
Quid noctis Regina doles? quid sidera fletis?
Quis dolor accensos extinguit flebilis ignes?
Astraque luctifico plorant quem tristia lessu?
Fortè pererratis Eöæ finibus oræ
Fraterno progressa toro, circumdata pulchro
Agmine stellarum, latéque micantibus astris
Cynthia Lechiacum biiugis pulsabat Olympum
Cognatasque domos, & amico Nomine iuncta
Atria lustrabat, placidoque serenior ore
Albentem terris spargebat prodiga lucem,
Ac consanguineos longè venerata penates,
Viuite dicebat mea nomina viuite terris
O DANILOVICII mea laus, mea cura, timorque
Lechiaco lucete diu mea lumina cælo,
Plenaque vos nostris superinferat ædibus ætas;
Vos lunare iubar, vos nostri gloria prima
Nominis, egregiis per vos mea nomina factis
Textilibus lauris & festâ fronde coluntur.
Vos me purpurei trabeatam luce Senatus
Euectam solio sublimè locatis eburno
Iuraque ferre datis, primasque capessere sedes;
Vos quicunque mei terris celebrantur honores
Vos facitis, lunam gemmis auroque notari,
Viuite felices mea gloria viuite Fratres
In serosque procul pariles transite Nepotes.
Sic ibat niueis circumludentibus astris
Sidereas inter luces, & mille choreis,

Instru-

Instructas acies, plaudentisque orgia cæli
Sæpè suas reuocans sociis comitantibus axem
Spes DANILOVICIOS, & laudibus æthera complens.
Ecce vbi Russiacos tetigit properata triones
VCHANIOS subiitque lares, prô triste repente
Obriguit, tremulâque manu dimisit habenas,
Audiit elatas voces, lacrymasque gementûm
Flebilibus resonare Choris, tristesque cupressus
Ingestas vidit tumulis, funestaque taxis
Limina, & atratis completas luctibus ædes
Templa vrbemque graui turbari ac æthera luctu
Deuotasque sibi sedes, tantoque superbam
Funere, crudeles Nemesim iactare triumphos,
Et sua letali detrudere Nomina busto
In prædam spoliumque nouis affixa sepulchris,
Noctem aliam infusam terris, aliâque fugari
Luce, sepulchrali quam præfert turba theatro,
Tum propior patulas vbi terris admouet aures
Et solitum remoratur iter, loroque iugales
Deflectit, vitreum rorans lacrymantibus imbrem
Cornibus, & tristi maculosum fronte colorem
Accumulans, taboque genas suffusa madentes,
Efferri videt, ecce domo letale cadauer
Defletumque diu geminari flebile PETRI
Nomen, & accensis exanguia corpora bustis
Imponi, patriæque simul spes ponè locari
Ingemuit tantæ cladis superata dolore
Stillâruntque nouo circumflua lumina nimbo
O mihi fatalis dixit locus, ô mihi iam tot
Funeribus damnisque grauis, qui tot mea condis
Nomina, totque tegis luces mortalibus vmbris,
Heu lacrymæ! quàm triste polis, quàm lugubre terris
Nomen, honoratis quondam splendoribus orbi
Et titulis illustre suis PETRE occidis! ô spes,
O mea laus PETRE! ô Cælestis gloria magna
Nominis, ô nunquam terris reparabile damnum

Sicne

Sicne cadis? sic Te mihi inexorabilis aufert
Antropos, æuique immatura scidêre sorores
Licia, quid non ausa manus! prô quanta Polono
Lux extincta solo, Regum populique voluptas
In tumulum rapitur, quis tristia vulnera casus
Attulit? vnde manus fatis tam certa nocendi?
Quale decus Generis, quales venerabile marmor
Cepit opes Patriæ, quantum quàm parua recondit
Tumba virum, cineresq; tegit lacrymabilis vrna.
Nam quid ego veteres Maiorum ex ordine Ceras
Enumerem? Regumque suos ab origine Patres
Deducam? Quid longâ posteritate nepotes
Plenaque decurram *Lechæa* volumina fastis
Quis DANILOWICIVM genus, aut quis nesciat ortum?
Virtutesque virosque Ducum memorabile germen?
Heroas dignè memoret quis sanguinis huius?
Bellacesque animas? quis pectora fœta Gradiuo
Et centum pro laude piis commissa periclis
Seu quos Sueciacis virtus exercita bellis;
Seu quos Odrysiis Magnos, Scythicisque triumphis
Fecit, & æternis inscripsit nomina fastis
Intemerata fides, proprioque litata cruore
Gloria, & hostili deuota cadauera leto
Quanta fides probitasque viris, quàm candida semper
In patriam pietas, quàm constans zelus honesti
Atque propagandæ ardor Relligionis auitæ,
Vos ego Cælicolæ vos conscia sidera testor,
Vos Diuorum ædes, & magni templa Tonantis
*Loiolæ*QVE Ducis Socij, cætusque piorum,
Quanta viris pietas, quis honor, cultusque sacrorum
Postera quem totis narrabant sæcula lustris.
Digna quibus famularer ego, dignissima tantis
Nomina stemmatibus *Cælestia* sidera vestris.
Meta sed ipse grauis Tu nostri PETRE doloris
Tuque meum vulnus, nigræ solennia pompæ
Feralesque rogos cuius nunc eminus orba
Intueor,

Intueor, mæstoque ardentia funera luxu,
Et Libitinæo circum atria plena colore.
Heu quantus tibi *Leche* dolor, quantumque sepulchro
Infertur columen fractum, spes quanta futuri
Luminis, ille tuus terror GVSTAVE pudendus.
Et formidatum bellorum nomen in armis,
Nunc illustre iubar, virtus nunc æmula Patris
Intercepta cadit; meritis iam *Lechia* cuius
Supremos pridem meditata parabat honores
Purpureusque cui reserabat limina Consus.
Quem prensabat honos, cuique ancillata merenti
Virtuti fortuna comes, quæsitus honorum
Qui tot erat titulis, quot nec sperare liceret
Fortè aliis, vno quem virtus fratre secundum
Fecerat, & pulchris instruxit pectora factis.
Quid referam placidos seruato pondere mores?
Quid Maiestatem Generis vultusque modestam
Fortunâ crescente licet, raramque superbis
Temperiem titulis, demissaque pectora; nempe
Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ)
Et seruare modum rebus sublata secundis:)
Illum seposito collecta modestia fastu
Fecerat acclinem recto, scelerique verendum
Et benè damnatis inuictum erroribus hostem.
Iam quis amor iusti? veri quis candor? honesti
Quæ ratio fuerit? quæ sancti cura pudoris?
Gratia quæ dictis? animo quam nulla senectus
Nullus inersque fuit torpor Menti! ô quot in vno
Lucra viro, quot damna luo? date sidera lessum
Ferte parentales ad busta affinia flammas
Partiri liceat lacrymas, fatique dolorem
Namque & vos eadem clades, quæ me afficit vnam.
Dixerat, ast illi, iam pridem consona tristes
Astra parant luctus, Generis sua lumina tanti.

PRIMVM

PRIMVM

E duobus Gentilitiæ LVNÆ sideribus

FACVNDI SIDVS ESSE PLANETÆ

Suspicari meritò licet,

VT POTE

Salubribus & disertis Consiliis, Sapientiâque Domus Illustrissimæ.

ILLE ERGO

Qui vicinior aliis LVNÆ in cœlo steterat

In Perillustri ac Magnifico Domino,

D. PETRO DE ZVROW DANIŁOWICZ

TOGATOS PATRIÆ DEFLET CIVES.

ELata qualis surgit in arduo
Idæa quercus vertice, brachiis
Complexa syluam, despicitque
Syluigenum sociata cælo
Vulgus, minorum gloria Ciuium
Latè mouentûm turbine frondium
Minata terris, vestra Fauni
Oreadumque Chori, voluptas.
Quam murmurantûm garrulus alitum
Frequens salutat grex, & in æmulis
Hæret susurris, quam serenis
Aura leuis Zephyris flagellat,
Quamue è remoto Cespite languidus
Laudat viator votaque concipit
Viam fatigatus sub vmbris
Blandiuolis releuare ventis.

Hæc

Hæc si colonûm victa bipennibus
Latè ruinam fecerit, obuias
Frangatque syluas, & nouellis
Mors veniat violenta plantis;
Euisceratam si Notus Africo
Pugnax potenti truserit impetu
Heu quanta clades quamue tristis
Arboreo venit illa regno,
Deflent cadentem culmina gloriam
Deflentq; ciues, tristis ijt fragor
Timorque syluas peruagatus
Quo pauidæ gemuêre valles:
Tàm mæsta regno Lechiaco venit
Hæc vestra clades, ô decus Imperi,
Et spes Poloni, Lux togatæ
O DANILOVICII Coronæ,
Talem minatur vestra Poloniæ
Strages ruinam, fataque liuida
Terrent pauentem, quando tantum
Vos columen rapiunt seueræ
Regno sorores, quando salubribus
Votis Senatus, totaque Lechia
Propinqua fatis, quando vestris
Consiliis viduatur orba,
Quis vos dolenti carmine lumina
Exæquet orbis? quis satis eluat
Fons lacrymantûm luctuosa
Heu Patriæ decorum sepulchra.
Acerba fatis impulit hæc quoque
Ruina Lechi tristibus æthera,
Cælumque rumor tàm nefastus
Luctificis penetrauit alis,
Te PETRE tanti gloria Nominis
Pullata deflet Regia Consilî
Vicina quem iam purpuratis
Fascibus & soliis Senatus

Virtus

Virtus adultum fecerat, ipſaque
Ambiuit alto ſanguine purpura
Clarere terris, diuitiſque
Ingenij celebrata ſuadâ
Nitere Lechis, cui ſpecialius
Ego diſertis impluerim labris
Facunda noſtri dona amoris,
Maior & eloquio reſedi
Maiorque Muſis, immiſerabilis
Sed Parca riſit vota petentium
Deflete fatum lacrymaſque
Siderei geminate Ciues.

ALTERVM
Gentilitiæ LVNÆ iubar ſocium
MARTEM PLACET DICERE
VT POTE
Bellicoſiſſimæ DANILOWICIORVM Domus.
QVI NVNC
In Perilluſtri ac Magnifico Domino,
D. PETRO DE ZVROW DANIŁOWICZ
SAGATOS DEPLORAT PATRIÆ CIVES.

TAntumne fatis flebilis Imperi
Datum ſeueris? nulla ferociæ
Lex? nulla virtus obſtinatum
Vi reprimet Cataphracta ferrum?
Ignara pulchræ pectora gloriæ
Aequabit vrnis dura neceſſitas
Fati? ſepulchralique ſaxo
Degeneres ſociabit illis
Quos bellicoſæ gloria laureæ
Iubet perennes viuere, & inclyta
Virtus triumphantûm Coronis
Adnumerat, meritiſque nomen
Inſignit aſtris, ſic reuerentia,
Noſtri cruentis nulla ſororibus?
Sic inter ignauos triumphis
Nullus honor ſupereſt Gradiui?
Emancipari vos pereuntium
Decebat omni lege ſuperſtites
O magna *Lechæi Trionis*
Laus DANILOWICII, perennes
Decebat orbi viuere Lechico
Omni ſolutos funere, prodiga
Quos mens cruoris laureato
Pulchra tulit ſuper aſtra Curru.
Deprælianitûm quos Othomanica
Sculpenda cælo bella ſuper Tyram
Cladeſque Thracum, quos Triumphi
Sarmatici cecinêre magnos
Quos ſenſit audax Moſchus & arduo
Faſtum remiſit pectore, cladibus
Inſignis orbi, Cynthiamque
Depoſitis veneratus armis,
Cum nuper alto pectoris impetu
Adulta virtus, quam iuuenilibus
Annis negaſſes, contumacem
Frangeret armipotens SEANVM
Te te futuro gloria tempori
Narranda ſemper, te puto Ruſſiæ
Perenne ſidus, cum triumphi
Et decorum pretioſus emptor

Bis

Bis terque pulchro vincere prælio
Montisque metas rumpere pertinax
Tabo cruentâsti rebelli
Non animæ, propriique parcus
Victor cruoris, cumque cadauerum
Latè patentûm funera sterneres
Bustisque figeres colossos
Perpetuæ monumenta famæ
Quid altioris lumina seculi
Longè recurram? te quid inanibus
Verbis renarrem luctuosæ
Scena mihi cinerata pompæ
Heu magna nostri gloria Nominis
Decrescis orbi! fortibus inuida
Clotho triumphis, pertinaci
In cineres furit irrepensos
Superba telo, Non ego lacrymis
Vobis parento, non miserabili
Sepulchra cantu plango, tristes
Ite procul procul ite Lessus
Vobis profuso sanguine marmora
Illacrymantur, vos super irrigat
Laborioso sudor amne,
Inferias agit ille vestras.

Talibus orabant, lacrymabanturque Planetæ
Cætera quis referat lugentia sidera cladem?
Flebilibus sociata choris, tristesque choraules,
Cùm vitreas tergens lacrymas oculosque natantes
Cynthia Nubigenis niueo sic ore profatur.
Stat sua cuique dies breue & irreparabile tempus)
Omnibus est vitæ, noctes obeuntque diesque,)
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris)
Quid populos mortale genus, plebisque caducæ)
Quis fleat interitus? sed vitam extendere factis)

Hoc

Hoc virtutis opus. mæstas componite mentes
Siderei Proceres, non hic morietur inultus
Nec vitæ mortalis egens, quem viuida virtus
Aeternaturum melioribus inserit annis.
Busta licet subeat; non est quod Parca triumphet
Scilicet ista tuo suberunt mea nomina ferro.
Dixit & intexto biiugas vbi compulit auro
Neglectum festinat iter, rectaque Perennis
Limina sancta Deæ petiit, sine nube Penates.
Hic vbi perpetuant felices sidera soles
Nectit & æternos longæuis nexibus annos
Temporis indefessa Parens, risêre pyropis
Atria purpureis, intus penetralia *Diuæ*
Pulchra repercusso radiarunt æmula Phœbo
Chrysolitis surgit paries, laquearia gemmas
Desudant teretes, celato ludit in auro
Chrysoprasis permixtus onyx, & concolor albo
Vena mari pingit niueis asarota figuris
Sub pedibus calcantur opes, nam defluus alto
Accumulat pretiosus honos noua lumina terris.
Quid veterum Ceras memorem? quid viua metallo
Heroum numerem pulcherrima facta notato?
Virtutumque typos, meritorum emblemata pulchris
Intertexta notis, desudatosque labores?
Ipsa Parens solio insignis, quam sancta sereno
Sole coronauit maiestas vndique Diuûm.
Gratia perpetuo vernat pulcherrima vultu,
Forma verecundo distinguit labra corallo
Immortale decus, phrygio illi plurima floret
Purpura picta modo, mixtoque incenditur auro.
Pensilis aure tremit pretiosi copia roris
Stillauitque caput gemmis, pectusque smaragdis.
Aula rotunda Deæ, septena volumina serpens
Implicuit, longamque vorax caudam ore momordit.
Huc ventum. Supplex Diuam venerata Perennem
Cynthia vota refert & sanctis supplicat aris

Vt

Vt Danilowicium victuro Nomen in ære
Et virtus animata auro tua Petre notetur.
Nec mora concessum. Surgit mox Conscia Fama
Virtutis meritique Viri, quæ talia valuis
Inscribit, Lunamque facit superesse perennem.

LVNÆ
ORIENTI

Perillustris ac Magnifici Domini,

D. PETRI DE ZVROW DANIŁOWICZ

ELOGIVM I.

CORONATVM
Sub Augusto Solem vidit Roma
LVNAM POLONIA
Sub BOLESLAO PVDICO.
In celeberrimo illo quondam Haliciæ Rege DANILO
Lvnam inquam Tuam Petre de Zurow Danilowicz
Quem
NICOLAI de Zurow Supremi Regni Thesaurarij Filium
Superi ordinarunt
Vt Te inter publicas opes Patria numeraret.
Dignum Coronâ Sidus
Vt pote mundo præesse natum
Digni

Digni Coronato Danilowicii sidere
Qui tot meritis & triumphis Patriam coronarunt
Vt magis iam Aquila Polona LVNA hac
quàm Sole oblectetur
Sed & LVNA Sol nocturnus est
Immò & diurnus vestra, Illustrissimi Danilowicii.
Qui Ortum & Occasum famâ compleuistis
Expauit Othomanica Lvna
In Polonia ortam sibi æmulam,
Expauit inermis armatam.
Non tàm Gentilitia Sagittâ, quàm virtute
Salutauit Orientem Lechia
Quia sibi salutarem.
O digna amore Lvna quæ ortu suo Patriæ
noctes in dies commutauit
Duo illi adiecta Astra
nimirùm vt constaret
Cognatam esse Astris Domum in qua virtus colitur
Vtq; Lvnam hanc astris esse curæ notaretur.
Sed liceat & vos duo orba sidera
Carole & Vladislae
huic præfigere Lvnæ
quam deflemus
Quæ Eclipsatâ Lvna Parentis Vestri
residuum lumen & leuamen superestis
Lucete, lucete Patriæ pulchra lumina
At quis locus Sagittæ inter Sidera?
Pro cælo & cùm cælo pugnas innuit.
O magnum cæli Lechici Phænomenon
Tres aliquando Lunas orbi radiasse legimus
Hanc vnam noster non capit orbis.

LVNÆ

LVNÆ CRESCENTI

ELOGIVM II.

Magnæ Virtutis Magni passus,
Ignauum est initiis contentum esse,
Magni animi seipsum etiam vincere velle,
Claritatem Natalium a Maioribus accipere, Fortunæ est.
Acceptam augere, Virtutis.
Alienum illud est, hoc nostrum.
Hinc Vos
Illustrissimi DANILOWICII
Nouilunare sidus accepistis, vt plenum virtute faceretis
In qua progressus vester ille est
Vt non ab alio nisi a vobis ipsis possitis superari
Vt nec mirum sit
Si crescente Corpore creuit vmbra
Et magnam Virtutem Magni Honores sunt secuti.
Benè sibi Honores Vestri prouiderunt Virtute parti.
Qua sine Crescere, decrescere est
Ipsa enim altitudo, nisi aliundè iuuetur
E longinquo spectantibus decrescit.
Quantumq; gloriæ merito,
tantum immerito dedecoris Honor adfert.
Sed ad incrementa LVNÆ Vestræ redeo
Idololatriæ fuit in aliis. LVNAM honorare
Pietatis in Polonia est,
Immò & Iustitiæ,
Debitus Honor LVNÆ Vestræ.
Debitus Vestræ duo Illustrissima Sydera
NICOLAE & IOANNES
(nisi Parentis nomen malis ferre quem virtute refers)
Supremi

Supremi Regni Thesaurarij
In Deum & Patriam pietati.
Debitus Vestræ Fortitudini Palatini Russiæ
Et Vexilliferi Leopolienses.
Quid Te memorem Moschorum fulmen
STANISLAE?
Quem
Palatini Russiæ filium natura
Nouum Poloniæ Herculem Virtus fecerat.
Quid Virtuti Tuæ debebatur?
Immò quid non debebatur?
Nisi & Te Virtuti, & Virtutem Tibi
Vtrumq; autem Honoribus fortuna inuidisset.
Stillantem Lunam sanguine si nunquam Moschus viderat
expertus est fundentem malo suo omine
Felix ortu & incremento huius LVNÆ Lechia
Infelix occasu.
Si occidisse dicendus qui famâ æternum viuet
Non poterat Scythica Luna maiorem ferre æmulam
ni truncasset
Non poterat adorari
ni prostrasset.
Sed hunc sua loquetur æternitas
Te Perillustris PETRE de ZVROW Regni olim Incisor
Quem nisi crudelis Parca incidisset
Maioribus titulis grata meritorum ornasset Patria
Cuius Nomen & Virtutem ipsi iam ambibant Honores
Nisi Tu ipse maiorem duxisses Honorem
Omnes mereri, paucos gerere.
Maiusque Virtutum quàm Honorum incrementum
esse crederes
Cresce in posteris superstes LVNA
Si tamen est aliquid in quo Crescas

LVNÆ

LVNÆ DECRESCENTI

ELOGIVM III.

Magnitudinem molis, ruina docet
Quæ magnarum molium magna semper est.
Heu Polonia!
quantis obrueris ruinis
Ad casum & occasum tantorum Nominum & luminum
Heu LVNA DANILOWICIORVM Illustrissima!
tantum decrescis nobis
quantum pullata Mors luminis aufert tui.
Quamvis corrigo vocem
Etiam cùm decrescis. Crescis
Magnorum enim Virorum, maior interitus
Vt Sol maior in occasu
Non minuitur ergo sed latet
LVNA Tua nobis PETRE de ZVROW DANILOWICZ
Sepulchralibus inclusa umbris
Sed nec latere potest
quam virtus prodit
Corpora non Nomina Heroum moriuntur.
Immortalem Natura si hominem fecisset
Virtuti & Nomini Vestro derogasset ô magni Principes
Qui nunc
Etiam dum morimini. Viuitis immortales
Vt discrimen sit inter Vos & degeneres
Quorū nomina eodē cum cadauere clauduntur marmore
Crescit igitur cum decrescit LVNA hæc
Immò plena est cum ferali occasu eclipsatur
Neq; enim eclipsari posset nisi plena
Suprema igitur hæc
LVNÆ VESTRÆ Illustrissimi DANILOWICII
inscribo verba
Etiam eclipsata lucebit.

VOTVM

AB VNIVERSO ASTRORVM CHORO

PRO ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. IOANNE NICOLAO à Zurow DANIŁOWICZ

SVPREMO REGNI THESAVRARIO

Aliisq;

PERILLVSTRIBVS DANILOVICIIS
Superstitibus

In Domo GLORIÆ immortalis
FACTVM.

QVis ille flammæ prodigus aureæ
Thronus corusco lumine sanctior
Effulsit intus? quem refracto
Maior honos pretiosus auro
Circum coronat, cui radiantibus
Fulsêre gemmis mista Corallia
Quem sancta Maiestas sereno
Irradiat cumulatiore;
Arsit pyropis Concolor igneis
Insertus auro pulcher onyx graui
Berillus ardentem pererrat
Luce thronum, cumulatque flammam.

Stat

Stat fulguranti fabrica sideri
Par, bracteatis æmula sedibus,
Stat inter Heroum Curules
Inter & emeritis Trophæa
Decreta factis; quam procul emicans
Circumstat Ordo longus Imaginum,
Longusque Patrum laureatis
Frondibus & trabeis superbus
Inter Polonæ Nomina Cynthiæ
Vestrasque luces ô DANILOVICI
Hinc inde Virtutum Phalanges
Rege vacans solium coronant.
Orditur agmen Diua Sororibus
Prælata vultu, sideribus velut
Dictinna præit Solq; stellis,
Relligio cumulata multis
Signis fauorum, cui stetit ad latus
Vicinus oris Candor, & Æquitas
Amorq; recti, & prona semper
In Superos Patriamq; Virtus
Hinc blanda morum grataq; Comitas
Cognata pulchræ Diua Modestiæ
Hinc fracta Maiestas at inde
Luctificos miserata Casus
Pacata vultu frontéq; Lenitas,
Quam liberalis pectoris Hospita
Secuta Virtus, pulcher illis
Omnibus oris honos decorq;.
Quis ille tanti muneris inclytus
Paratur Heres? quem solio Dea
Dignata tanto? cuius illam
Nectit Honor meritis Corollam?
Tibi Polonæ nobile purpuræ
Sidus futuri præmia temporis
Hæc sunt parata, te perenne
Iam Solium manet & Corona

Aeternitatis

Aeternitatis, Gloria CYNTHIÆ
Quæ prima nunc es, primaq; Nominis
Tanti superstes, Lechicoq;
Lux DANILOVICIUM Trioni.
Te te Phalanges hæ famulantium
Produnt futurum Pegmatis Hospitem
Et nota Virtutum Corona
Te solij Dominum salutat.
Te iam manenti Diua Perennitas
Inscribit æuo, Nomen & aureis
Magnæq; Virtutis Coronas
Associat tabulis Parentum.
At ô voluti temporis Arbitra
O seculorum Mater, & omnium
Longæua rerum vita, magnis
Vna viris meritisque merces,
Da longiori fata superstitem
Serò requirant inuida seculo
Hoc occidentis damna LVNÆ
Lechiaco reparentur Orbi.
Pollux redemptus funere Castoris
Viuat Polono, quem sua Faustitas
Iurata semper lætiori
Perpetuet comitata passu.
Et Vos Polonæ Semina Gloriæ,
Æterna nostri lumina Sideris,
Aequate MAIORVM nitores
Perpetuis radiata LVNIS.